Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

10,-582

LN 289
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

DE

TIO

praxeos

randis qu

lis eſt pro

gra & cox

articularis

fiſtellæ C

næ doctor

cati & il

cis

A N

Apud I

Ann

M· Geo

chriſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

DIVVLGATIO PROFESSIONIS

praxeos Medicinæ in his morbis curandis quorum medica manu poſſibilis eſt profligatio, inter quos & podagra & coxendicis dolor & arthritis ſeu articularis morbus his aſſeruntur, Chriſtiſtellæ Chimonii Iuris V. & Medicinæ doctoris Imperialis Cameræ aduocati & illuſtris Megapolenſis Ducis Alberti à conſiliis & medici.

ANTVERPIAE
Apud Ioan. Steelſium, in ſcuto Burgundiæ.
Anno M. D. xxxvii.

M. Georgio Ecclesiastae [illegible]
Christistella qui supra dono dat

538

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

cia expedi
reginam H
toris Caroli
germanamq;
cule, vt regi
le optimam
tam, cõplure
fecto facie lib
plane vegeto
rei cùm me ce
primum, tum
go, non poda
dicis doloren
morbum his
ſiſq; regionib
eſſe mala. Ea
opinionem h
præfatas æg
ſeculis, ſic &
beri, tametſi
ab annis vſq;
lix incremen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

CVVM ILLVSTRI Megapolitanorum Duci Alberto comes itineris accitus, per Hollandiam Brabantiamq; Bruxellas contendenti, certa negocia expedituro, Apud inclytam Mariam reginam Hungariæ, Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli. V. vicariam gubernatricem, germanamq; ſororem, fœminam me hercule, vt regia proſapia clariſſimā, ita facile optimam ſingulariq; prudentia præditam, cōplures vidi podagricos, viros profecto facie liberali, ipſo fere ętatis in flore, plane vegeto & ſuccoſo corpore. Cuius rei cúm me cepiſſet admiratio à ſodalibus primum, tum ab indigenis paſſim intelligo, non podagram tantum, ſed & coxendicis dolorem, & arthritidē articulorūve morbum his pulchris, opulentis, populoſiſq; regionibus prope modum peculiaria eſſe mala. Eamq; pro conſtanti veritate opinionem hactenus ſemper obtinuiſſe, præfatas ægritudines ſicut aliquot ante ſęculis, ſic & hodie pro incurabilibus haberi, tametſi medicinalis ars paucis retro ab annis vſq; in præſentem diem tam fœlix incrementum eſt aſſequuta, vt hac tem

peſtate plerique noui Medici, tamen doctri na & longa rerum experientia, illi quidē verè celebres, minimè verentur nonnullos magni nominis viros in harenam rurſus prouocare, quos prior ætas iure (quem admodum videbatur) & principum & euangeliſtarum nomine dignos cenſuit. Ea in re quandoquidem nos non infœliciter, diis adiutantibus verſati animū adpulimus ad profitendū, horum adfectuū perfectam curandi rationem, idque nō ſcriptis, & perſuaſorio in genere eleganti oratione, ſed operatrice manu rationalis artificij methodum imitante. Artis nanque laus omnis, non inelaborata dictione, ſed in ęgris fœliciore exercitio illuceſcit efficacius. Idem crebrius animo verſanti paucis mihi præfari libet maxime ſperanti æquos vos me auditores habiturū qui hunc tam ad publicam quàm priuatam multorum vtilitatem ſermonem inſtituimus.

Celebre eſt nulli non in ore prouerbium Homo homini deus, Homini homo lupus Quod vtinam reuera, (res etenim eſt notatu digniſſima) mortales omnes animi pē derent. Etiam ipſi nos præſertim, qui chriſtianæ militiæ nomen dedimus, noſtræ res profecto, quæ in omni vita fiunt, longe

ge ſecius gererentur, fieretq; vt ipſi tẽpori
plæriq; craſſa quadam intelligentia prędi
ti, ſicuti et claris nonnunquam diſciplinis
claſſes malorum ſubinde contingentium
minime imputarent, idem quoq; de boni
falſa attributione plęrunq; ſolet obſerua-
ri, tanquam ipſi fontes ignorentur, vnde
proprie effluerent tam bona quàm mala.
Ab ipſo inprimis Deo Opt. Max. omne
bonum res in omnes creatas emanauit prĩ
cipaliter in ſimpliciores illos & vltramun
danos ſpiritus, quos angelos ſeu miniſtros
Dei altiſſimi appellamus, ſecundario autẽ
in mortales omnes creaturas, maxime ve-
ro in hominẽ, quem veluti principem con
ſtituit orbis terrarum, vt quod bonũ eſſet
in oculis eius operaretur iugiter, D. Pauli
teſtimonio, vnde noſtrum omnium genia-
lis origo, tanq̃ vnius plantæ germina, vt
productionis ſimilitudine, quẽadmodum
in reliquis animantibus videmus, mutua
officiorum ratio inter nos coaleſceret.
Quemadmodum igitur ab optimo omnis
creaturarum varietas prodiit, pro ordinis
cuiuſq; excellentia, ita cõmunicabilis ab
eo bonitatis participium accepit, Diuinæ
ſcilicet generationis illius ſemina quędã.
Nam protritum illud eſt, perennis fontis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

riuulos ſuæ originis naturam quodam mo
do ſapere. Sic beatiſſima illa ſanctorũ ſpi-
rituum ſocietas prima creaturarum , non
ſolum acceptorum à creatore bonorũ mu
tuam communicationem habent, verum
etiam ea mortalibus nobis vbertim impar
tiunt,quatenus immortalis pars noſtra ſit
capax,per terrenum hoc quod inhabitat
domicilium. Ad eundem itaq; modum,
ipſi nos(nam cœlitibus ipſis conſortẽ etiã
eam partem gerimus,mentem ſcilicet im-
mortalem) ad communicationẽ officiorũ
procreati.Quod cûm obſeruatum eſt paſ-
ſim inſigniter exerceri inter gentes huma
nas,gratuita quadam animi hilaritate,nul
la conſyderatione de rependendo habita,
imitatione gratis benefaciẽtis opificis,cœ
ptum eſt ab ipſa antiquitate,adoleſcentiũ
nouorum rituum obſeruatrice longè dili-
gentiſſima,alios aliis Deos nominare, ni-
mirum à communis boni communi diſtri
butione.Sic Auguſtum Maro ſuum com
pellare ſolitus, Buccolico carmine :

O Melibœe Deus nobis hæc ocia fecit
Nanq; erit ille mihi ſemper Deus:

Nec alia quidem ratione certos lupi no-
mine inſimulari ſolitum eſt, quam quod il
lis vigilans ſemper non modo ſtudiũ quo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

libet incommodorum genere alios inceſ-
ſendi, ſed etiam ſine diſcrimine nunquam
non ad lędendum præcipites ruunt, ita vt
ex ipſo flagranti facinore in illis agnoſcas
facile, fomitem illum diuini ſeminis plane
exterminatum, atq; vti denuo regenera-
tos, per ſempiternæ noctis principem (cõ-
mutato beatiſſimæ immortalitatis cõmer-
cio in luctuoſiſſimum interitũ, eumq; nul-
lo æuo finiendum) iam aliud nihil ſpirare,
q̃ corporale quoddam cacodęmonion.
Atqui hæc omnia nihil ad tempus, tãetſi
ea in tempore fieri conſpicamur. Non ali-
ter ferè atq; præſentiſſimum, aureo cypho
infuſum, venenum, incauto, taleq; nihil ſu
ſpicanti, porrectum, manifeſtarium vitæ
periculum ſequitur, mox vaſis culpã eſſe,
commiſſum maleficium, veneficum vero,
noxę immunẽ pronunciares. Quod q̃ alie
nũ ſit à vero, res ipſa clamitat. Rectiſſime
igitur omnis boni fontẽ Deũ eſſe profite-
mur, indeq; in creaturas abundantius deri
uatum, eo etiam communicationẽ deniq;
omnis boni, in omnia quæ ſuis ſunt capa-
cia. Ab homine vero tentatori diabolo
adſentiente, malorum vniuerſam colluui-
em, in mundũ demigraſſe. Seſe itaq; poſte-
ritas ipſa, cuius vera genuinaq; progenies

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

nos ſumus, merito quidem accuſet, ſi cuius mali auctrix fuerit perpetrati, ipſum vero tempus nequaquã incuſandum, cuius momentaneæ viciſſitudines ſunt certiſſimę, pro pręſcriptis à conditore perpetuis legibus, nunquam non ſicut hactenus ab initio, ſic & hodie vſq; in conſummationem irrequietum fluens. Quod autẽ in ſanctis bibliis prophanoſq; apud authores, mali epitheta tempori adiecta legũtur, phraſis eſt figurata, nos vero rẽ ipſam vere, vt eſt, lucida oratione proſequimur.

Inde vanam ſimul eſſe ſicut in aliis prope innumeris, multorum in re medica querimoniam facile deprehenditur, Qui quicquid quorundam circumforaneorum, vel inſcitia culpabile committitur, vel ipſa negligentia infectum pręteritur, vel ſpontanea quadam abhorreſcentia grauioribus à laboribus, non aggreditur, hoc vniuerſum in medicinale artificium, non minus inſcite quàm impudenter ſoleãt reiicere, temporum inquientes iniuriis huiuſmodi incõmoda prouenire ſed eo, quę vis, quaue iniuria diuinæ fit arti, candidi veritatis amatores non ignorant. Eſt enim diuinũ abſolute donum, quo in circulo rerum caducarum nihil creauit opifex pater huma

nis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

nis neceſſitatibus conducibilius, ſanctius, ſublimius. Cuius vel ſola fidelis operatio exercentium famam in ſublime vehit, immo diis immortalibus conſecrat. Siquidē nec olim defuerunt huius diſciplinę profeſſores, qui viui in terris, & regios & diuinos meruerunt honores, ob multiplicē prouentum fœlicium medicationū, quas regibus, regnis, vrbibus, vniuerſis deniq; gentibus pręſtiterunt, mortalibus illis qui ab ipſis ſanabantur, adorabiles dii facti.

Æquū idcirco eſſe arbitramur, cuiq; quod ſuū eſt opus, à quo quicq; profectum eſt attribuere, neq; Deo, cuius inenarrabili maieſtate nihil melius, neq; eius prouidentiæ, qua nihil iuſtius, quod plerique faciunt, neq; tempori illius, quo non aliud certius, neq; optimis artibus, quarum ab ortus initio, digna ipſarum erat veneratio, noſtræ ſocordiæ, viciateq; naturæ flagitia imputare. Non enim aliis artis columnis ſuffulta eſt antiquitas, quando ſupra hominū fidem, veluti diuinitus factum miraculum, magnificis operationibus maxime florens claruit, quam poſteriores illę ætates, quibus peſſum iri contemptuiq; haberi cœpit, ob leuiculorum quorundam hominum ruditatem ac indoctam arrogan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

tiam, quoniam ars omnis exercendo expe
riendoq; indies augmentū ſuſcipit. Quin-
immo multo pluribus, q̄ vetuſtiſſimi qui-
que hodie abundamus præceptis, quę ve-
luti per manus diuerſa à diuerſis ad nos tra
dita veniunt. Siquidem fidi illi neutiq̄ in-
uidi priorum ſæculorū artis proceres, pro
candore animi, qui ſingulo cuiq; inerat, ni
hil diligentiæ ſuæ anteposuerunt, quo illu-
ſtrius atq; conſummatius ipſum artificiū
prodiret in lucem, omni poſteritati vtile
futurum, ſed quo illi in tradendo magis ſo
liciti hoc plęriq; omnes in capeſſenda arte
ſegniores, pœnitendum profecto tot labo
rum fideliter exactorum authoramentum,
exceptis paucis huius ęui medicis, qui quo
pauciores, eo magis in medica facultate
antecellunt, digni quidem, qui optimis in-
ter veteres comparentur. Hæc enim
frugalioris ſtudii in arte negligentia artis
ignorantiam, eiuſque pediſſequum errorē
parit, difficile dictu, quantam hæc duo in
medico maxima mala, perniciē bonis om
nibus procurare queāt. Vnde, obſecro, ali-
as ab initio in linguas hominum venerit,
podagricos, articulorum morbo laboran-
tes, iſchiadicoſq; citra controuerſiam, om-
nes prorſus incurabiles cenſeri, quę mala
quidem

quidem vulgatiora in populo perenniter ſæuiunt, quam ipſis ſint Athenis noctuæ. Sed damnoſam hāc opinionem paucarū iam ætatum conſenſu tanquam longiſſimi temporis præſcriptione perſtrepentē, res ſubinde alias, non ſolum excepiſſe, ſed & hodie tenaciter fouere animaduertimus, Indubitata quippè perſuaſio, (Quæ & ipſa ab imperitia indoctorum Empiricorum ortum trahit) de impoſſibili earum ęgritudinum medicatione ſpem omnem enecat adipiſcendæ ſanitatis, quādo pauciſſimos hoc ſeculo, pauloq; antè, ab his affectibus medica operatione liberatos, pro comperto habetur. In hanc claſſem & illi reiiciendi, qui generi ſuo hæc mala tanquam hęreditaria ſucceſſione aduenientia, peculiaria agnoſcunt, quique ſibi vnicam hanc in ferociente morbo conſolationem cōminiſcuntur, cū hoc malo ſcilicet, bellum ſe inire perpetuum oportere, quàm diu hac vita frui conceditur, per morbi ſæuientis redeuntes impetus, non ſecus ac aſellus perpetuo oneri deſtinatus. Habet etiam ad hoc non parum momenti præſentaneæ curæ per negligentiam prorogatio, quo ipſa die defectuoſa corporis diſpoſitio habitum induat, nunquam

niſi

nu improbis et pluſquam Herculeis labo
ribus remouibilem. Sed & innata & alium
de acquiſita rerum medicarum abomina-
tio, etiam in aliis viſorum accidentium ti-
mor. Similiter ea quæ natura homini ineſt
temperamenti mollicies, vt nec venæ ſe-
ctionem viſu, nec purgationi deſtinatum
pharmacum, vel ſolo olfactu admittant, q̄
plurimis haud dubiè impoſſibilis curæ
ſcrupulum iniecerunt. Eſt præterea occul
ta quędam curationē ipſam perpetuo im-
pediens caussa, quæ nō multis mortalibus
per immenſam miſerentis dei clementiam
accidit. Corripiens ſcilicet diuina vltio, ea
enim in corpore imperium exercēte, quo
curioſior ſis in medendo, eo quidem affli-
gis magis ęgritudine adfectum. Atqui po
ſtremum locum inter hoc genus impedi-
entes cauſſas ipſa auaritia non immerito
obtinet, quæ eò plærunq; dementiæ mul-
tos mortaleis agit, vt non ſolum his malis
adflictam valetudinem pecunia reſtauran
dam redimerent, verumetiam certas paſſi
ones cum vita perferendas puſillo ære cō
pararent, quorum cruciatus, etiam ſi ipſo
rum manes inſeparabiliter poſt obitum
ſequatur, eſt digniſſimus. Alios vero ſuo
ſtudio paulo minus obnoxios habet, quo-
rum

rum habendi retinendiq; cupiditatem, ipſe ſępius apud illos agens expertus deprehendi, & quod magis dignum eſt admiratione, eodem veneno imbutos eſſe & illos qui mea ipſius diligentia, vigiliq; labore, ſemel atq; iterum, ſolitæ reſtituti ſunt ſanitati, tempore quidem incredibiliter breui, ſex vt plurimum ſeptemve ad ſummũ diebus, curam abſoluens, integrã pollicebar morbi profligationem aliquando pręſtiturum, modo auguſtiore ſalario laboribus & arti reſponderent. Ad hæc adeptę bonæ valetudinis conſeruandæ tutiſſimã rationem traditurum. Etiam ſi rurſus quidẽ, aut exceſſu præſcriptę dietę, aut omiſſarũ obſeruationum negligẽtia aliiſve cauſſis recidiua contingeret, pręſto ad manũ adfuturum, profligandi morbi ſubitaneũ remedium, ſed audita mentione auctioris ſalarii, piſcibus ipſis magis muti derepente facti ſunt. Verum depoſt longe excogitata iam euadendi via, ne quidpiam auaritiæ cumulo decreſceret. Erant qui hunc in modum reſpondebant, poſteaquã diuina opitulante clementia, tua opera recte modo liberati, ſperamus id curare nos ſedulo, nõ ſolum obſeruando quę præſcripſeras, verumetiam omnem immodicum

exceſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

exceſſum præcauẽdo, ne rurſus incidamus
Equidem ſi recidiuatio præter ſpem iterũ
inciderit, conuentioni tum primum erit lo
cus. Alii autem aliter. Sed huiuſmodi futi-
lium excuſationum ſyluam latius hic proſe
qui, quemadmodum tædioſum, ita præſen
tis etiam non eſt inſtituti. Atqui tales ipſe
pecuniæ ſtudio inhiantes relinquere ſoleo
domeſticis ſuis malis iterum atq; iterum re
deuntibus (donec mors ſeuerior appetat)
lancinandos. Cauſſas ferè propter quas in-
ualuit opinio, paulo ante dictos adfectus
medicæ operationi ineluctabiles eſſe, bre-
uiter, vtcunq; accepiſtis. proximus modo
locus erit, paulo diligentius perquirere.
Num non verius ſit, eoſdem de quibus diſ
ſerimus morbos & curabiles dici & habe-
ri, q̃ contrarietatem obſeruare. Atq; exor-
dienti ſtatim occurrit mihi veterum medi-
corũ authoritas hactenus adprobata, quo-
rum veſtigiis in omni medicinali facultate
ſecundum rationem operaturos inhærere,
non tam vtile quàm ſumme neceſſariũ eſt.
Horum nemo omnino eſt, qui omnem om
nium morborum medendorum methodũ
ex profeſſo tractauerat, quique non inte-
grum, eumque aliis operoſiorem tractatũ
de

de podagræ, arthritidis, & iſchiadicorũ cu
ratione poſteritati reliquerit, in cuius tota
tradendi ratione, non raro vbi locus inci-
dit, quamplurimos his morbis affectos à ſe
recte curatos meminerint. Qua in cauſſa il
los mendacii inſimulare non modo pudẽ-
dum eſt ſcelus, ſed etiã audaculæ inſcitæ-
que temeritatis certum argumentum. Iidẽ
veteres quum iam pro comperto haberent
difficiles quodammodo curatu eſſe hos
morbos, propter multiplicis materiæ, vn-
de generantur, varietatem, vniuſcuiuſque
generis, prout quodque à ſingulorũ hu-
morum abundante cruditate naſcitur, ſi-
gna, cauſſas, medicationes ſingulatim ve
luti digito demonſtrantes ordine tractant
abſolutiſſimo, in quo primum catalogum
eorum præmittunt, qui ſimplicis cuiuſq;
humoris influxu procreationem accipiũt,
poſtea vero compoſitorum rationem pro-
ſequuntur, nihil non lucide adſentiente
etiam ratione & adpoſite: nec illam ſpe-
ciem eorũ tanq̃ neglectam omittunt, quæ
ex ſeroſis recrementis humorũ omniũ ali-
quando generantur. Quid quod & tofos
ſeu callos diſcutiendi eruendique doctri-
nam ſolicite abſoluunt, quorum materia

craſſi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

craſſi humores ſunt, quã vel qualitas calidior & ſiccior, vel pharmaca refrigerantia ſolent efficere. Quod genus ſolummodo tanquam inſanabile annotauit ille, infamante verſiculo:

Soluere nodoſã neſcit medicina podagrã.

Verum contrariam ſententiam & docent, & ipſo opere ſępius ipſę præſtiterũt artis columnæ. Poſtremum omniũ veluti iam ſuperatis fœliciterq; curatis his morbis, dietam curãq; proponunt, quibus corpora ſibi iam denuo reſtituta in bonę valetudinis conſtitutione ſalubriter præſeruari valeant, talium iniuriarum amplius immunia. Arguunt præterea nõ vndequaq; difficilem horum morborum eſſe curã, ipſæ eorum in vniuerſum curandi ratiões quæ duobus his ſummis generibus abſoluuntur, in reſtauranda ſcilicet affectorum membrorum debilitate, & humorum exacerbantium diſcuſſione. At omnis difficultas mea quidem ſententia maxime in ſpecie morbi cognoſcenda deliteſcit, quę neminem latere poterit, cui exacta eſt omnino notitia temperaturarum humani corporis, naturarumq; temporum anni, in quibus morbi aggrediuntur, nec ignotæ eſſe debeant ęgrotantiũ ætates, dietę, ſolita ex

ercitia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

ercitia, lociq; in quibus plurimum degere conſueuerũt. Euincamus etiam vel ex eo, quandam curandi facilitatem propoſitis ægritudinibus præ cæteris ineſſe, quod nõ paucos ex his ſubitaneè curatos audiuimus, & his oculis vidimus, ſola animi inſigni quadam perturbatione, affectuve paululum concitatiore, maxime timore aut ira quorum hiſtoriam hic recenſere, nihil ad rem attinet., Nam fidem eorum quæ narramus iam dudum factam nouimus, præſertim apud eos, quibus longa dies variarum rerum experientiam comportauit, ſiquidẽ hæc de rariſſimis contingentibus omnino non ſunt. Quam vberem futurum (obſecro) putares euentum felicium medicationum, ſi Medici ipſi ægrotantium temperamenta, ipſa morborum ſigna, & cauſſas, æque ad amuſſim cognoſcerent, atque ipſamet natura ſibi in quolibet ipſi conſcia? Quod fieri poſſe non diffidimus, verũ ab eis maxime, qui omnia veræ artis præcepta tenent, ſunt enim ab intimis naturæ penetralibus eruta & diuturno vſu, parique adſenſu adprobata. Demonſtratum ex his eſſe ſatis arbitramur, hos morbos de quibus præſens habitus eſt ſermo, quantũ ad artis conſummationem attinet, de nu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

mero curabiliũ cẽſeri. Quos etiam Hippocrates ipſe priore de morbis libro, neutiq̃ incurabiles nominat, ſed in catalogũ corũ ſeponit, qui neceſſario longi ſunt, modo præſentanea medicina in tempore ſuccurſum nõ fuerit. Nam & temporis apud illũ conſyderatio varium habet, eumq; neceſſarium tractatum. Conſequitur ergo euidentius ex his, neq; artificio, neq; tempori, neque eorum morborum naturæ quicpiam imputandum, ſed omnẽ illam curandi difficultatem, aut ex Medici ignorantia, aut imprudentia, negligentiave, ſi ęgrum attigerit, aut ipſorum languentium vel diffidentia, vel diei prolatione, vel ſtudio cõſeruandæ pecuniæ, quæ auaritiæ pars eſt, vel iuſtiſſima Dei vltione, vel aliis (ſiqui his ſimiles ſunt) modis, prouenire. Quorũ omnium & hęc in promptu ſunt remedia, pro Medico parum perito & imprudenti, & negligentia notato. Doctum, Gnarum, vigilem aſciſcitor, Tu morbo adfecte, diffidentiã animo excute, crede nouos, (modo arte perfecti ſint) id hodie poſſe, quod veteres olim aliquando pręſtiterunt, nec genitiuæ contagioni exhorreſce reſiſtere, Sicut vicia animi, ſic multo magis corporis congenitę imbecillitates, ſtudio, arte, et

indu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

induſtria emendantur. Nam artis perito impoſſibile non eſt, paulo deterius temperamentũ totũ in melius trãsformare. Quãto minore indiget negocio, connatę imbecillitati ſalubriter ſuccurrere. Neque diem quęrendę curę proferas, niſi id ex Medicinę conſulti reſponſo feceris. Quin potius illud tibi animo infixum ſedeat,

Venienti occurrito morbo. Item:

Principiis obſta, ſero Medicina paratur,
Cûm mala per lõgas conualuere moras

Sin vero pecunię te amor in diuerſum trahit, animum tuum illud corroboret Hyppocratis ſeu Polybii, vt vult Galenus ſermone primo de paſſionibus. Quiſquis prudens eſt ſecum putato ſanitatem hominibus prę cunctis plurimi faciundam eſſe, quam ſi pro auro commutaueris, prorſus Diomedis in Glaucum commutationẽ feceris, ita pro leui diſpendio, inęſtimabile compendium redit, pro pauculo auro, amplum Theſaurum comparaſti. At ſi male conſcia ſibi te remordeat cõſcientia, ex vltione malum & profectum & perſeueraturum, quod peritus Medicus maxime omniũ ex eo dignoſcere poteſt, ſi adhibitis remediis, omnique recte curationis rationi, non ſolum ſtrenua morbi fit reluctatio,

ne quidpiam proficiat in melius, verumeti
am in deterius indies dilabitur æger. Ad
præteritorum commiſſorum pœnitentiam
ante omnia confugiendum. Erit etiam cũ
ante actę vitæ modo, diligens ratio ineun-
da, improbiora quæq; vitæ exercitia pror-
ſus reſecando, omnem deniq; viuendi rati
onem in id, quod honeſtius inſtituere, ſe-
dulo conari, Id vnicum eſt Deo vere ac-
ceptabile pro peccatis ſacrificium. Quo
ab ira in miſericordiam nihil efficacius tra
hit, teſte prophetico ſpiritu, qui ait, in qua-
cunq; hora ingemuerit peccator non am-
plius apud Deum peccatorum illius erit
memoria, nec vult mortẽ ſcelerati, ſed ma-
gis vt conuertatur, & vitam habeat. Huic
ipſi quum ex animo acquieueris, feceriſq;
omnia nimirum contraria inuenies. Quæ
prius repugnantia, nũc obſequentia. Quæ
prius difficilia, nunc facilia. Quæ prius in-
ſalubria, nunc certam ſalutem præſtitura.
Poſtremum, ita in omnibus proficias, vt
ſumma inſperatæ ſalutis diffidentia, in cer-
tiſſimam recuperandæ ſanitatis fiduciam,
cito citius conuertatur. Habes itaque
ômnium obiectorum (ni fallor) ſuccinctã
dilutionem, quæ damnoſam impoſſibilita
tis opinionem, iam olim inuexerunt, cu-
randa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

randarum prædictarum ægritudinum, nec amplius quicquid in præſentiarum ſupereſſe video, præſertim operam dans breuitati, quàm rurſus paululum eo redire vnde digreſſi ſumus. Equidem in præliminari prouerbio duplex humanæ vitæ exercitium generatim deſcribi, haud obſcure ex prædictis intelligitur. Alterum, in quo feruentiore ſtudio indeſinenter verſatur, de omnibus hominibus (quantum humanę tenuitati permittitur) quàm optime mereri, ſecundum officiorum varietatem, quibus egentiſſimus quiſq; opus habeat, inter quę primas propè partes occupare dixerim artificioſe poſſe ſubuenire medica manu q̄ plurimis, præcipuè ab illorum affectuum iugo, qui per multas ætates eos quos habent macerare ſoleant, quorum ea peculiarior ferè eſt natura, vt non vulgarem quẽpiam impromiſcue corripiant, ſed veluti ſenſibili quadam electione prędit, primores plæroſq; omnium ſtatuum & conditionum ante alios aggrediũtur, inde nonnunquam haud parum detrimenti accipiunt, innumeræ fere res publicæ, quando magiſtratus ipſi his interim affectibus obnoxii; ſuis ipſorũ negociis, nedũ publicis muneribus præ debilitate ſupereſſe poſſunt.

Horum plærique ſanè, quemadmodum
ante admonuimus , hæc mala veluti do•
meſtica, & familiaria habent, vt interim a•
lios ſilentio prętercam cum ſacros tū pro•
phanos, quorum à dicendo me terret pro•
fecto numerus. Alterum exercitii genus
eſt, priori prorſus aduerſum , ſicut illud in
commodando, ſic hoc in lędendo totū cō•
ſtituitur. In illius colluuiei numero, vel hi
inter primos merito cenſeri poſſunt, qui cu
iuſq; quālibet pios egregioſq; conatus vi
rulēta lingua reducere cōſueuerunt: Adeo
vt & illi vel primū terriculamentū ſint ho•
mini, cui in animo ſederit, quicpiam recti•
us agere. Hoc ipſum ſæpius vſuueniſſe mi
hi fateor, meditanti mecum rem paulo gra
uiorem, nec hoc in negocio, quod modo
molimur, ea ſolicitudine prorſus liberi ſu•
mus, multa deliberatione occupati. Profi•
tendum ne ſit in publicum mihi, ante pau•
lo memoratarum paſſionum curationem,
aliquoties me non infeliciter præſtitiſſe, id
que tempore, quàm quo credi poſſit, bre•
uiore, idemq; hodie poſſe præſtare, non mi
nus quàm in aliis vulgo curabilibus mor•
bis. Hęſitantem Adagium mox adhorta•
tur, homo homini Deus, vt ſaluti multorū

pro

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

pro virili conſulam : dehortatur vero pars altera, homo homini lupus, detrectatorũ, obloquentiumque maledicentiam, & fortaſſe non paucorum inuidiam ſubuerentẽ, ne tam rari exemplum operis veluti anteſignani adoriamur. Subiit tandem animum diutius dubitantem: Amicorum crebra adhortatio, recreamur, indeque primũ magnanimitatem conceptam auxit ſingularis humanitas doctiſſimorum virorum, cui genuinum eſt laudabiles conatus candide interpretari. His modis igitur animatus, quod et veteres plæroſque abſoluiſſe ex ſuperioribus abunde liquet, ipſe artis profeſſor audax in lucem prodeo, fiducia fretus illius, qui ſolus vere eſt omni ex parte conſummatus Medicus, qui nunquam errans, non modo languentibus corporibus, ſed & emortuis, potens eſt dare Medicinam vere ſalutarem, illis temporariam ſanitatem, his vitam immortalem. Promittens in primis non ſolum & Podagræ & coxendicis doloris (quem Schiaticam vulgus vocat) & Arthritidis articulariſue morbi, ſed & omnium affectuum aliorum, qui denuo, vel facile, vel ægre curabilium cenſentur, integram

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

abſolutamq; medicationem, eam tamē nō omnibus citra delectum communicabilē, ſed tantundem obſequentibus meæ curæ, meiſq; pręceptis. Quod etiam pręciſe & citra exceptionem dictum nolumus. Sed vt noſtræ audacię ſuus ſit terminus. Quibus autem â morbis habitis anni progreſſi ſunt plures q̄ quatuor, quibus item imbecillæ ſunt vires, & illis quidem qui temperamentorum quadam mollitie laborant, præterea deplorata ſenectute grauibus, nō cōſummatam omnino curam, ſed egregium ſingulariterq; commendabile lenimentum pollicemur. Eos vero qui animi quodam faſtidio & pharmaca & medicationes abominantur, ars ſancta veluti ſuis malis incurabiliter conſecratos, ne attingere quidem ſed prorſus pręcipit omittere, niſi vel medicus amicorum ſupplicumq; precibus victus, vel alia coactus ratione dubiam curā velit experiri. Qua tamen in re tutius iudicamus manus non adponere, q̄ aduerſus renitentem niti naturā. Nam in aduerſum flumen ratem agere opidoq̄ laborioſum.

Ipſum autem curationis negotium, in his maxime quos ea dignos exiſtimamus ſuauiter expediemus, ſemper ratione habita naturæ, virium, ætatis, conſuetudinis, cor-

porum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

porum affectorũ. Abſit omnis peracutus cruciatus, medicamenta violentiora, vnde pericula euenire ſoleant, longe proſcribenda, nihil quam quod ęger tolerare poteſt, adhibendum. Etiam vel ideo longius medicationibus aliquando inſiſtere neceſſarium. Quod ſi omnes artem profitentes curioſius in medicationibus obſeruarent, maior eſſet profecto ſanitati reſtitutorum prouentus, & tam numerus ęgrotorum, q̃ mortem oppetentium lõge minor. Atqui corpora robuſtiora, quibus eximiæ tolerãtiæ ſpecimen ineſt, quemlibet affectum lõge facillime ſuperant, modo tempeſtiuius conueniẽs medicina adhibeatur. Adeſte itaq; animis, quotquot laboratis tędioſiſſimis his moleſtiis, & ſpem meliorem concipite, nullum enim vitæ diſcrimen vniuerſa in cura agitur. Sed omnia tuta erunt, & non ęgre tolerabilia. Ante omnia Deo optim. Max. reconſiliati, cuius clementiſsimum numen omni in opere rectiſsime inuocatur, obuiis, vt aiunt, vlnis Medicum excipite, qui ſe vobis beneuolum, facilem & oportuna facientem voluntarius præſtabit. Quibus igitur in votis eſt (ad id imprecante ſuo cuiuſq; meliore genio) lõge optabiliſsimæ ſanitati in integrũ velle re-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

ſtitui his ſeſe nobis inſinuari licitum eſt, Illud iterum admonentibus candide. ne, homini mihi pia arduaq; molienti qui lupi fiant, lupinos in nos rictus extendentes, ſtudio deuorandi famam nominis noſtri, qui nihil noui parimus, ſed quod veteres factitarunt, pro viribus imitamur, iacta certe eſt alea. Amicos æmulis longe optabiliores eſſe fateor. At ſi immeritum quis pergit lædere, ſuſq; deq; ferimus, Quandoquidem

Arx eſt ipſa ſibi virtus, ipſa eruit arces
Ipſa feras hominemq; domat, non horror in armis
Ire per hoſtiles cuneos inimicaq; caſtra.

Cæterum vt omnẽ ſcrupulum (id quod candidus animus tenetur efficere) ſtudioſe remoueam, ne anſula quidem maledicendi minima cuiquã data videatur, ſi qui hæc noſtra legentes de numero ſunt eorũ, qui quorumlibet dictis parum credere cõſueuerunt, etiam ſi clariſſimis fulcirentur rationibus, niſi externo quopiã, quod ſenſuum alicui obiiciatur confirmationẽ adipiſcantur. Hominis ſane non infimæ nobilitatis, recens teſtimonium appellaturus, cui nomen cum cognomento, modo illud requiratur, Iuſtus Vrne, natione Danus,

quem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

quem fortunante Deo hiſce Ianuariis Ka-
lendarum diebus, podagrico morbo ab
hinc trimatum periodice occupatum Bru
xellis liberamus,non leniendo tantum, vt
communiter & dicitur et operatur,ſed etiã
morbum ipſum radicitus euellendo, adeo
vt idem hodie, non formidatis cat greſſi-
bus, quoquo libuerit, qui octo ſolum ante
dies, etiam baculo innixus, ne veſtigium
vllum figere potuit. Anticipauimus enim
ante vigorem morbum, incremento in ip-
ſo. Quod curationis nonnunquam genus
difficillimum eſſe ſolet. Quinimmo illud
magis in admirationem quẽ ducat, quod
eundem ſacramẽto adfirmare audiuimus.
Superiore aggreſſu eius ægritudinis, qui
anno iam proxime elapſo contingebat,du
odecim circiter hebdomadas, tam acerbe
aliquando ſe vexatum eſſe, excruciatũq;,
maxime vigentis atq; conſiſtentis morbi
tempore, vt diurni & nocturni illius gemi-
tus (alias præter moleſtias) omnem fatiga
uerint familiam, propeq; inſomnem deti-
nuerint. Neq; eam in exacerbationũ pro-
cellis adfuiſſe tolerãtiam, vt tactum rei ali-
cuius ſuſtineret, etiam molliſſimum, donec
paulatim vis affectionis facta eſt remiſſior.
Natu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Natura ſubinde adfligentem concoquẽte materiam. Nihilominus tamẽ tam breui in tempore hominẽ ſanatũ conſtat, nequicq̃ in contrarium proficiente feruentiſſimo adſueti morbi impetu. Cuius rei alia profecto cauſſa eſſe nequit, quàm iuſtę debitęq; curationis efficacia. Quę quantum pręſtare poteſt, hoc facile exemplo intelligitur. Nam alias, huiuſmodi adfectuum ea ferme eſt natura, quo ſæpius ſtatis redierint circuitibus, eo & grauiores & diuturniores fieri. Idem nobilis eques, ſi cuipiam videbitur conueniendus, eam præſertim ob rem, in curia domini Rauenſteinnenſis diuertitur, è numero familiarium vnus principis Megapolenſis ne hac veluti fictitia quadã narratione, noſtræ profeſſioni fucum quæſiuiſſe cauillemur. Quod volebam intellexiſtis, quotquot candido eſtis animo, neque vero aliis comminiſcimur, iidem interim fœlices viuite.

EIVSDEM CARMEN INVIDIÆ *amuletum.*

Vt letale ſcabra teritur rubigine ferrum,
Vſus quando omneis abſtulit ipſa dies.
Sic plærunq; graues magno conamine cauſſas
Aggredientem atrox proterit inuidia.
Crebrius hoc claris animus uirtutibus ergo
Adſueſcat, magnus panditur unde uigor.
Hac magis arte (uides) liuor ſe conficit ultro
Rem dignam, interitus fit citus ipſe ſibi
Quod, modo dent nitidi præſentia numina cœli
Cuiq; ad uirtutem, iam patet ampla uia.
Atq; beatorum ſublimi uertice mundum
Tangere, & æternum nomen habere ſolo.
Hoc, ſi cui uere hac ueſcenti obtingeret aura,
In mundo hoc, ſummum id, diceret eſſe bonum.

Typis Ioan. Graphei.
Anno. 1537.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

DE GEMIS OBSERVATIO

Vnumquemque lapidem ex altero maxi
me duorum elementorum, terra scilicet vel aqua
conflari apud omnes rerum naturalium peritos,
tam in confesso est, atque naturali rationi primum
ut nullus, nisi vel hebetudine caecior addubitarit
Porro qui lapides non perspicui sunt ex terra crassi
oreque substantia sunt qui vero pellucidi visuntur
ex aqua praesertim consistunt cui subtilis quaedam
terrae nec obscura materies immixta est ut in
crystallo ac berillo glaciei speciem plane referentibus
videre est. Quamquam & haec intelligi voli
mus quod duo reliqua rerum principia ignem
dico & aerem, ab illorum mixtura separo. Apud
principes namque philosophos cumplures quoniam
omne mixtum ex quatuor elementis constare
Verumenimvero ita quae diximus accipienda
sunt, ut alterum illorum terra nimirum vel aqua
in quouis lapide praecellere intelligas, etiamsi
aliter Plotinus sentire videri possit

Quod autem ad effectricem vocatam cau
sam attinet, duplicem eam utriusque philoso
phiae principes numerarunt altera namque supre
ma altera vero inferior princeps causa
est Deus ipse optimus maximus rerum omnium
Creator & servator in quo cum quo & per
quem sunt omnia et sine quo D. ioannis
apostolo testante nihil factum est quem
Aristoteles ens entium supremamque vocabat
intelligentiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°

Eget BB 1988

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 289 8°